



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXVII. De matrimoniis Catholicos inter, & A catholicos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

stendo à contractu. Dixi 2. Ordinariè; nam aliud esset, si periculum esset, ne vitium erumperet, sicque casuaret graves rixas, inimicitias, aliàque gravia incommoda, & inconvenientia; vel si defectus esset valde noxius, & matrimonium alteri parti notabi-

liter difficiliùs redderet, alioquin fieret illi injuria, dum imponeretur onus, in quod alter non consentiret, cujusmodi defectus esset juxta Gobat, n. 374. & Spor. n. 219. si sponsa ab alio imprægnata fuisset.

## C A S U S L X X V I I .

### *De matrimoniis Catholicos inter, & A catholicos.*

**P**erengarius A catholicus multarum divitiarum hæres cupit matrimonium inire cum Catharina Catholica raræ pulchritudinis, & divite puella, quæ cum diceret, nolle se cum A catholico contrahere, spondet Perengarius, se fidem Catholicam amplexurum, si ipsa in matrimonium consentiat, quo audito Catharina appositis certis conditionibus consentit, & à Perengario emissâ fidei professione, matrimonio copulantur, sed vix elapsò anno Perengarius ad vomitum redit, & ad castra A catholica transit, reclamante, sed nihil efficiente Catharina, quam ob rem ab eo divertit, nec ampliùs vult eidem cohabitare.

*QUÆR. I. An matrimonium persona Catholica cum hæretica validum sit & licitum? & quid de earum sponsalibus?*

*QUÆR. II. An ad hoc, ut Catholicus cum hæretico licitè contrahere possit, opus sit consensu Ordinarii speciali, vel dispensatione Pontificia?*

*QUÆR. III. An licita sint pacta inter conjugem Catholicum, & hæreticum inita, ut liberorum alii v. g. masculi, patrem Catholicum sequantur, & minè verò matrem hæreticam, aut vicissim?*

*QUÆR.*

QUÆR. IV. An Catharina ob hæresim Perengarii conjugis divertere ab eo possit?

439 **A**D I. Q. Putârunt non nulli cum Gloss. C. final. verb. contra substantiam de condit. appof. & Hostiens. c. 2. n. 1. de conjug. serv. matrimonia Catholicorum cum hæreticis, vel apostatis, irrita esse, & nulla, id quod expressè habetur Can. 72. sexta Synod. gener. ubi dicitur: non licere Orthodoxum cum hæretico conjugi, nec orthodoxam cum hæretico: sed si quid ejusmodi factum apparuerit irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.

2. Quia ejusmodi matrimonia sunt contra interdictum Ecclesiæ, Can. cave 15. & Can. non oportet 16. Caus. 28. q. 1. ergo nec rata, nec valida habenda sunt. 3. Matrimonium infidelis cum fidei est irritum, & nullum, & quidem, ut aliqui volunt, jure divino: ergo etiam matrimonium fidelis cum hæretico, cum eadem rationes in utroque casu militent. Nihilominus

440 Tenendum utique est cum S. Th. in 4. dist. 39. q. un. a. 1. ad 5. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 6. not. 2. Cajetan. V. Matrimonium c. 1. Durand. q. 1. ad 2. Palud. q. un. a. 1. n. 7. Abb. in c. fin. de condit. appof. n. 5. Navar. man. c. 22. n. 49. Covar. p. 2. desponsal. c. 6. §. 11. Azor. l. 8. c. 81. q. 5. Card. de Lug. de

virt. fid. D. 22. S. 2. n. 13. Sanch. l. 7. D. 72. Palao tr. 28. D. 4. p. 11. n. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. aliisque Theol. & Canonist. communiter, matrimonium Catholicum cum hæretico validum quidem esse, sed illicitum. Posterior pars sumitur ex diversis Conciliis, Chalcedon. can. 13. Leodicen. Can. 10. & 31. Carthag. 3. c. 12. Agathens. c. 16. ubi id interdicitur propter periculum fidei imminens conjugii Catholico, & proli, & quidem sub peccato mortali, nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit nullum fore periculum scandali, perversionis, aliorumque incommodorum, ut plerique ex citt. docent cum Sot. in 4. dist. 39. q. un. a. 2. ad ult.

Prior pars colligitur ex C. de erevit de hæretic. in 6. ubi decernitur, uxores, quæ scienter hæreticis nupsere, privandas esse dote in pœeam delicti, non tamen præcipitur earum separatio, adeoque supponitur matrimonium esse validum. 2. Colligitur id ex Decreto Urbani VIII. expedito 14. Mart. 1630. & ex Responsione S. Congreg. de propag. fid. 1638. 3. Ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ, quæ ejusmodi matrimonia quidem prohibet, sed contracta sustinet, & tolerat. 4. Ex ratione; quia cum matrimonium sit Sacramentum, quoad Sacramenti necessitatem solùm

lūm petit paritatem Baptismi suscepti, atque adeo cū uterque sit baptizatus, atque adeo capax Sacramenti matrimonii, non de-  
 cuit, illud infirmari, & irritum reddi, sicut irritum reddidit Ecclesia matrimonium contractum cum infideli non baptizato. Unde patet responsio ad 3. rationem in contrarium allatam; cū non militent eadem rationes pro conjugio fidelis cum infideli; quia inter hos nequit esse Sacramentum; bene autem inter Catholicum, & hæreticum utrinque baptizatum.

Ad 1. Rationem ex Can sextæ Synod. desumptam R. eos canones non esse authenticos, ut notat Sanch. l. c. utpote à quibusdam editis Synodo illa jam dissoluta, & destitutos auctoritate Conciliorum; imò, etsi authentici forent, eorum tamen irritationem per consuetudinem, & praxim contrariam jam esse sublatam.

Ad 2. R. iis canonibus prohiberi quidem conjugia personæ hæreticæ cum Catholica; sed ea non reddi irrita, cū plura sint prohibita, quæ tamen acta valent.

44<sup>r</sup> Ad 2. Q. 1. Memb. R. cum Navar l. 4. tit. sponsal. 1. edit. conf. 38. n. 6. Corrad. Prax Dispens. l. 7. c. 2. n. 99. Sanch. l. c. n. 4. aliisque sponsalia inter personam Catholicam, & hæreticam, vel Apostatam, irrita, & nulla esse, nullam-

que sponsalium obligationem inducere, si eò tendant, ut matrimonium contrahatur, altero in hæresi perseverante; quia tales promissiones sunt de re turpi, & omnino illicita, atque adeo nullam possunt inducere sponsalium obligationem.

Ad 2. Q. R. cum Hurtad de fid. 442 D. 76. Diana p. 8. tr. 1. R. 74. Gobat tr. 9. n. 225. aliisque citt. ut Catholicus cum hæretico licite contrahere valeat, opus esse dispensatione Apostolica, vel speciali Ordinarii consensu, saltem extra Germaniam, & alias Provincias septentrionales, ubi Catholici mixti cū hæreticis communi jure vivunt. Ratio patet ex dictis; quia cū ejusmodi matrimonia ob graves rationes sint prohibita, ad licite contrahendum opus erit licentiâ, & consensu speciali Ordinarii, aut S. Sedis dispensatione, quæ tamen S. Sedes nunquam, vel non nisi ex gravissimis causis dispensat, nisi prius habito testimonio de abjuratone hæresis, teste Perre tom. 4. comment. fol. 76. n. 14. Catum referente de quodam Heterodoxo volente contrahere cum muliere Catholica à se deflorata, de quo requisitus Summus Pontifex Clemens XI. scripsit ad Nuntium in Belgio commorantem, jussitque, ut Archiepiscopo Mechliniensi significet, non expedire dispensationem petitam concedere, nec posse, nisi abjurata

rata prius hæresi, laudatque Archiepiscopum, quod bene se gesserit in ea deneganda, & reprehendit quosdam Theologos Religiosos, qui super dicta dispensatione votum pro sententia affirmativa dederant. Plura hujusmodi exempla extant apud citt. AA. quibus & illud Urbani VIII. annumeratur, qui peragrè, & illibenter Breve Dispensationis indulget Sorori Regi Galliarum ad matrimonium contrahendum cum filio Regis Angliæ, idque ob grande veræ fidei, & animarum plurimarum bonum, ut ait, quod sperabatur ex pluribus apposis conditionibus.

Nec mirum Pontifices se difficiles præbere in concedenda hac dispensatione; cum prohibitio horum matrimoniorum non tantum sit juris Ecclesiastici, sed etiam naturalis, tum ob scandali, & perversionis periculum, cui exponitur conjux Catholicus, & liberi ex tali matrimonio suscepti, tum ob alia incommoda, quæ ex talibus matrimoniis plerumque oriri solent. Unde circa hujus dispensationis necessitatem DD. communiter distinguunt cum Palao *rr. 22. D. 4. p. 11. n. 11.* inter loca, & Provincias, in quibus Catholici permittuntur securè suam Religionem profiteri absque perversionis periculo; & inter illas, in quibus hanc securitatem Catholici non habent, & perversionis periculum non ces-

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

sat. Et in primo casu, ubi non adest periculum aut perversionis, aut malæ prolium educationis, censent absque dispensatione posse Catholicum licitè matrimonium inire cum Acatholica; quia tunc cessat obligatio legis tum Ecclesiastica, tum naturalis ejusmodi matrimonia prohibentis; secus verò in secundo casu, nisi accedat legitima dispensatio, & pars Acatholica sufficientem securitatem præstet personæ Catholicæ, quod velit illam relinquere in professione fidei Catholicæ, nullumque sic adsit periculum perversionis. Et hinc

In Germania, aliisque septentrionalibus Provinciis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, ex recepta, & tolerata Consuetudine licita esse matrimonia inter personas Catholicas & hæreticas, docent Sanch. *l. 7. D. 72.* Azor *p. 1. l. 8. c. 11. q. 5.* Laym. *l. c. c. 14. n. 2.* Hurtad. *D. 24. diff. 2.* Gutier *de matr. c. 104. n. 7.* Engl *tit. de matr. contra interd. Eccl. §. 2. n. 2.* Petra *tom. 4. fol. 75.* König *hic n. 23. Ills. tr. 6. D. 9. n. 88.* Schmalzgr. *hic n. 148.* aliique, siquidem conjugii, qui Catholicus est, liberum permittatur in fide Orthodoxa permanere, & absit periculum scandali, & perversionis, quod rarò abesse videtur, ut cum aliis citt. notat Coninck. *D. 31. dub. 3.* adeoque in praxi Catholicos ab ejusmodi

Ppp

con-

coniugiis absterrendos esse, nisi forte ipse sit hæreticus coniugis convertendi ad veram fidem, & cum pacto, ut omnes proles catholicè educentur. Quòd si dubium sit, utrum prædicta mala sequi possint, ad Summum Pontificem, inquit Laym. l. c. vel etiam ad Episcopum in Germania nostra pertinebit rem examinare, & contrahendi matrimonii licentiam dare. Hinc Dixi supra saltem extra Germaniam, & alias Provincias septentrionales.

443 Ad 3. Q. Pacta, quæ in Coniugiis Catholicorum cum A Catholicis ineuntur, ut ex liberis masculi patrem hæreticum, feminae verò matrem Catholicam sequantur, aut vicissim, prorsus impia, & irrita esse, ut cum cit. DD. tenet communis aliorum; & ratio est, quia parentibus incumbit cura omnes suos liberos in vera fide educandi, cui obligationi nullo modo renuntiare possunt; atque adeò huiusmodi pacta non solum esse contra jus Ecclesiasticum, præscribens, ut soboles sequatur conditionem parentis fidelis, ut notat, & probat Sanch. l. c. sed etiam contra jus divinum, quo parentes tenentur liberos in fide, iisque moribus educare, ut remedia spirituali eorum salutem necessaria adipiscantur.

444 Ad 4. Q. R. Affirmative, posse scilicet Catharinam & quidem pro-

pria autoritate divertere à Prensario ad hæresim redeunte, & non respiciente; nam licet Kemnitius hæreticus Ecclesiam carpsit, quòd pluribus ex causis, quàm fornicationis, divortium concedat, cum tamen Christus Matth. 5. & 19. ob solam fornicationis causam affirmet, licitum esse divortium; veritas tamen catholica est in Trident. definita *Sess. 24. de matr. can. 8.* ob aliquas etiam alias causas permissum esse divortium quoad thorum, seu cohabitationem ad tempus certum, vel incertum, scilicet quamdiu durat delictum, seu causa, ob quam conceditur divortium, & inter alias causas numerari etiam adulterium spirituale, quale est hæresis, vel apostasia à fide, in quam labitur alter conjux, tenet concors DD. Cath. sententia, id, quod constat ex *C. fin. de convers. conjug. c. 2. & 3. quando de divort. C. non solum 28. q. 1. & ex D. Paulo ad Titum 3. ubi: Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devota.* Ratio potissima est periculum perversionis conjugis Catholici, quod regulariter non abest, si quidem hæresis magnum secum affert periculum pervertendi fidem alterius conjugis; naturæ enim inditum est, ut quisque ad suam sectam alios pertrahere tentet, cum id ad animæ salutem necessarium esse existimet, & vel magis conjux conjugem, cui tanta familiaritate, & amore conjunctus est, ut adeò  
ex

ex consuetudine, & familiaritate conjugali tale periculum semper merito timendum esse, censeant Sotus 4. d. 39. q. un. a. 4. ad 3. Bart. Ledesm. de matr. dub. 54. concl. 5. Tiraq. l. si connubialin. 29. alique, nec expectandum esse, donec actu immineat. Imò alii cum Hostensi l. 8. r. 21. a. 2. q. 14. Palao, d. 35. D. un. col. 7. §. Porro in gratiam fol. 785. Sanch. l. 10. D. 15. ajunt, non tantum Conjugem Catholicum posse, sed teneri divertere ab hæretico nolente respiscere, eò quòd jus naturæ obliget cavere proprium animæ periculum, quod in eo eventu gravissimum imminet: unde emanavit illud Platonis: *Ambula cum bonis; mores enim à conjuncto formantur.* Accedit, quòd ut notat S. Th. 4. dist. 35. q. un. a. 1. ad 3. hæresis sit contra bonum prolis, sicut fornicatio carnalis; non enim educabitur proles in vera fide & cultu Dei à parente hæretico.

Porro communis DD. cum S. Th. l. c. Palud. Soto. Ledesm. Gabr. Sanch. docet causam hujus divortii ex hæresi petitam, esse duntaxat temporalem, & cessare, si hæreticus respiscat, & absit periculum perversionis conjugis Catholicici, atque adeò recipiendum,

admittendumque tunc esse conjugem hæreticum respiscentem à conjugate Catholico, qui ob dictam causam ab eo diverterat, saltem ante latam ab Ecclesia sententiam, quam posse ab Ecclesia ferri in poenam hæresis, colligitur ex cap. fin. de hæret. in 6. & C. fin. de convers. conjug. & C. De illa de divort.

Unde patet discrimen inter divortium institutum ob fornicationem spiritualem, seu hæresim, aliaque crimina, & inter divortium factum ob fornicationem carnalem, de qua locutus est Christus Matth. 5. citt. hæc enim carnalis sola est causa perpetuæ dimissionis, & divortii absoluti; propter alia verò crimina non est licita separatio, nisi dum ea durant, quibus proin cessantibus restauratur matrimonium, & recipiendus est conjugux emendatus, ut cum aliis explicat Bellarmin. l. 1. de matr. c. 14. §. secundæ causa est. Ubi ait Christum locutum esse de causa divortii petita ex ipsamet conjugii natura, sitque propria, & peculiaris ratio solius matrimonii, quo modo est sola fornicatio carnalis, utpote quæ fidei conjugali, & substantiæ ipsius matrimonii opponitur.

